



Bamba ex illustri familia apud Gothos natus,
82. rex extra patriam in Hispania electus fuit.
Erat is animi moderatissimi: itaque post mortem Recinsuindi uix eum adducere potuit, ut tantum onus supereret. Eo tempore multi populi contra eum arma mouerunt. Itaque primum Vascones, post Narbonenses perdomuit. Ducem quoque Bitirreum in Gallia res Gothorum infestatem superauit. Saracenorum quoque classem ducatarum septuaginta nauium, primo ad littus Hispanicum accendentium, partim oppressit, partim cepit. His bellis fœliciter confectis Toleti Concilium celebrauit, & res multas ibidem optimè instituit. Tandem uero ad æmulis medicata potionem accepta fortissimus rex memoriam amisit, atque regno relicto monasticæ uitæ habitum in Pampligensi cœnobio assumpsit, & paulo post obiit, anno Christi sexcentesimo septuagesimo octavo. Sicque Sarracenis occasio data, ut tandem Visigothorum regno sublato, ipsis totam Hispaniam occuparint. Id quod factum est post mortem Bambæ anno 30.

Tum enim inter Rodericum regem & Iulianum Tingitanæ prouinciae praefectum contentione orta, Sarraceni à Iuliano in auxilium ex Africa acciti, Mufa & Tarifa ducibus adsunt, & biennij spatio totam Hispaniam uincunt, preter Astures & Cantabros, quæ nunc Gallicia dicitur. In eo bello septingenta hominum millia ceciderunt. Possiderunt Sarraceni Hispaniæ per annos plus minus quingentos, donec Ferdinandus 3. rex, anno salutis 1216. Toleto, Corduba, multisq; alijs locis recuperatis, Sarracenos regnis maiorí ex parte eieciros ad Bethicam, quæ hodie Granata dicitur, reiecerit. Inde tandem patrum nostrorum memoria, anno 1492. Ferdinandi regis uirtute tota Hispania exclusi, Sarraceni mare superato in Africam redierunt.

Ioan. Mag. libro 16. capite 27. Blond. lib. 10.

decad. 1,